

Nova literaria

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **BookReview**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 6

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

NOVA LITERARIA.

TURICUM. Ampliff. Reip. nostræ Senator,
 JO. JACOBUS LEU, scriptis plurimis de Histo-
 ria ac Jurisprudentia Helvetica immortaliter meri-
 tus, novo & luculentissimo Opere Helvetiam no-
 stram illustrare instituit: Prodiit recens e prælo
 typographico vakti hujus Operis Tomus primus,
 nonnisi A Litteram complexus hoc titulo: **All-
 gemeines Helvetisches, Eydgenössisches oder
 Schweizerisches LEXICON**, in welchem das,
 was zur wahren Erkenntniß des ehemahligen
 und gegenwertigen Zustandes, und der Ge-
 schichten der Helvetischen und Eydsgenössischen,
 auch deroselben zugewandten und verbündeten
 Landen; wie nicht weniger aller darinne be-
 findlicher Orter, Geschlechter, und berühm-
 ter Personen, die sich in Geist- und Weltli-
 chem Stande, in denen Wissenschaften und
 Künsten, in dem Kriege und sonst hervorge-
 than, und noch hervorthun; erforderlich seyn
 mag: Aus allen dahin dienenden gedruckten
 und geschriebenen Büchern und vielen sonst er-
 haltenen schriftlichen Nachrichten in Alphabe-
 tischer Ordnung vorgestellet wird von Hans
 Jacob Leu. I. Theil. A. Zürich, bey Hs. Ul-
 rich Denzler. 1747. in 4. pl. 48. Ingenti mul-
 torum annorum opera hoc Opus ab Ampliff. Vi-
 ro in privatos usus collectum, & lapsu temporis
 infinitis prope accessionibus locupletatum omnem
 cognitionem historicam, quæ quidem Helvetiam

nostram vel tantillum spectat, ita plene explicabit, eamque totam exhauriet, ut posteris nonnisi continuandi laborem reliquum faciat. Et certe de hoc primo Specimine valet, quod in proverbio dicitur: *Ex ungue Leonem!*

2. In lucem hic quoque prodiit libellus Catechetico - practicus opera Viri pl. Reverendi J. R. ZIEGLERI, sub hac inscriptione: *Die Würksamkeit des Glaubens, fürgestellt in den Nutzen und Anwendungen des ganzen Christlichen Catechismi, von des Menschen Elend, Erlösung und Dankbarkeit, wie auch der Lehre von den H. Sacramenten: Samt einem neuen Catechismus, Gesang. Zürich 1747. 8. pl. 2.* Non possum non commendare hunc libellum tanquam appendiculam Libri illius ecclesiastici, qui vulgo *das Zeugniß, Buch* vocatur; utpote qui in compendio exhibet veritatum Doctrinæ Christianæ salutarium vim & usum ad informandam vitæ christianæ praxin. Maxime autem probo Viri Reverendi operam in condendis novis Carminibus catecheticis, in quibus non tantum Musam sacram ad purioris ac emendati Sermonis cultum astrinxit, ac ad certas metri numerique leges castigavit, sed & id imprimis operam dedit, ut doceret, qua ratione divinæ Gratiae ad percipiendam dogmaticarum veritatum in animis virtutem piis suspiriis implorare atque etiam impetrare possimus. Provoco ad omnium, quibus non penitus corruptus est sensus, iudicium, atque mihi persuadeo, neminem fore, qui non ex unico Specimine cognoscat, quanto nova hæc carmina intervallo post se relinquunt obsoleta illa, quibus adhuc utimur,
&

& quæ ad fovendam veram animi devoti pietatem minus idonea esse videntur: Exemplo esto:

Dominic. XLVI.

*Suehnopfer nicht mehr finden plaz
Damit d' Sünd werd hingnommen:
Das Opfer Christi ohn Zusatz
An sich selbst ist vollkommen.
Das Opfer, das er hat einmahl
Am Kreuz vollbracht stets gelten soll
Die Sünden auszutilgen.*

*Die Opfer, die noch übrig sind,
Die schreibt Gott für uns allen,
Dafs leben wir als seine Kind,
Nach seinem Wolgefallen.*

*Dankopfer er von uns begehrt
Dafs er von uns gepriesen werd
Mit Worten und mit Werken.*

* * *

**Suehnopfer hast du aufgehebt,
Weil du das Heil erworben,
Als Priester, welcher ewig lebt,
Doch selbst für uns gestorben.
Lass Jesu! uns nun für und für
Die Seligkeit allein in Dir
Erwarten und erlangen.**

**Ach schenk uns solche Dankbarkeit,
Wie du um uns verdienet,
Da du, Herr Jesu! allbereit
Vollkommen uns versuehnet:
Nimm unser Herz, nimm Geist und Sinn,
Nimm Wort und Werk und alles hin,
Dir Lob und Preis zu opfern.**

3. Sumtibus Heideggeri & Soc. prodierunt nitide expressæ JO. GASP. HAGENBUCHII, *Linguarum Gr. & Lat. Professoris* Epistolæ epigraphicæ ad Virum illustr. JO. BOUHIERIUM, *Senatus Divionens. Præsidem*, & ad Virum Celeb. ANT. FRANC. GORIUM, *Hist. Prof. Florentinum*, in quibus hoc triennio scriptis plurimæ antiquæ Inscriptiones græcæ & latinæ, *Theauri imprimis Muratoriani*, emendantur & explicantur. Tiguri 1747. 4. pl. 89. Non ea est hujus Librario, ut possit iis, qui his Sacris initiati non sunt, brevi argumentorum indicio satisfieri, aut uno alterove Specimine gustus aliquis propinari. Continet Epistolas XXXIII *Hagenbuchii ad Bouhierium, Goriumque*; horumque ad illum ultro citroque missas, nec non quasdam ad *Iselium* & ab *Iselio*, sed breviores, unamque ad *Kappium*: Quibus omnibus præmittitur Epistola dedicatoria ad Mæcenatem Nobiliss. JO. BLAURERUM a *Wartensee*: Integros potius Commentarios, quam Epistolas diceres: Et infinitus prope est Lapidum numerus, quibus Clarissimorum horum Virorum Sagacitate certatim q. Lux aliqua affunditur; quin etiam præcipua & maxime necessaria Critices lapidariæ aut epigraphicæ principia hinc inde inducta magna exemplorum vi stabiliuntur ac confirmantur. Quæ sint imprimis Clariss. *Hagenbuchii* nostri hoc in genere merita, gratus agnoscit *Gorius* p. 428. his verbis: *Non mireris, si Te in enucleandis vetustis Scriptoribus & antiquis Inscriptionibus nodisque difficillimis dissolvendis, & multa luce conspurgendis, Criticorum nostri temporis principem adpello, ac prædico meum EVERGETEN.* Adjicitur auctarii loco his Epistolis uberrimus Clariss. *Hagenbuchii* Commentarius

tarius in Inscriptionem antiquam Turici nuper repertam sub peculiari titulo *Τεσσαρακκοσολογίου Turicensis*, quem supra excerptum & in compendium missum dedimus.

BASILEA. Vir plurimum Reverendus AUG. JOANNES BUXTORFIUS, aliis jam eruditis laboribus clarus atque etiam variis Societatibus literariis adscriptus, publicæ luci dedit S. Sermones, quos juxta filum Catechismi ex officio habuit, ex quibus Doctrinæ Christianæ dogmata & veritates populo christiano qua fieri potest perspicuitate dilucide exposuit, ac illarum in praxi vitæ christianæ usum demonstravit: Titulus ita habet: *Die Lehren und Pflichten des christlichen Glaubens, in H. Reden vorgestellt von August Johann Buxtorf, Pfarrer zu St. Theodor in Basel. 1747. 8. zwey Theile.* Utrumque Volumen complectitur Sermones XLVII: qui se non tantum rerum pondere, & demonstrationis perspicuitate; sed etiam styli puritate ac gratia quam maxime commendant.

2. Animadversiones theologico-criticæ, quas Præside Viro pl. Venerando *Jac. Christoph. BECKIO*, modesto eruditorum examini proponit *STEPHANUS HATHUANI*, V. D. M. nobilis Hungarus Auctor. Basileæ. 1747. 4. pl. 2. Supersedeo de argumentis harum thesium plura dicere, quia eas dignas judicamus, quas ab interitu vindicatas Musæo nostro inferamus, easdemque ut Clariss. Auctor novis accessionibus, quas se jam paratas habere profitetur, locupletare velit, rogamus. Ceterum quod pretium hujus generis

Observationibus ipse statuatur §. VIII his prope verbis declarat: *Habeo præterea excerptorum aliquot folia, sed cur, vel triobolo vix æstimanda, hujusmodi chartis illinas; cum de iis, non meliora sperare liceat, quam quod primo quoque tempore, veterinari & propolæ, allio, piperi, lardoque contegendo iis utantur. Et tamen, proh quanti denique sumus! qui hac Via in templa olympiaca cælestesque domos nos penetrasse existimamus. Cave putes, me hoc vili mustaceo laureolam quærere. Ingenio nostrorum temporum aliquid dandum est, huic aliquo modo satisfaciendum erat. Ego vero nunc tacitus de Scena discedam, nec multum Spectatorum judicia morabor, cum certum sciam, plerosque nostrum, in eo si quid in lucem hodie emittimus, hoc cum maxime attendere, in quod justissime olim Dio Chrysostomus invecus est: ΑΜ' ἐστὶν αὐτὸ τῆτο ἢ μοχθηρία, τῆ κέρδος ἐνεκα καὶ χρείας; μηδενὸς - - ἐπιστρέφεται. μηδὲ φρονίσειν ποῖον τὸ γιγνώμενον, ἀλλὰ μόνον εἰ λυσιτελες.*

SCAPHUSIUM. Vir Clarissimus atque literatissimus *Melchior HURTERUS* eximias contulit Symbolas ad locupletandum *Florilegium historico-criticum Librorum rariorum*, cujus novam editionem hoc ipso anno procuravit Theologus Groninganus eximius *DAN. GERDES*, Opere, quo Reformationis Historiam illustrare feliciter aggressus est, celeberrimus. Symbolæ illæ Hurteria-næ sub literis M. H. sparsim per Alphabeti literas insertæ a reliquis distinguuntur.

GENEVA. Recens hic editum est opus egregium Viri spectatiss. *D. BOURLAMACHI*, antea Juris Professoris, nunc Senatoris, forma, u
ajunt,

ajunt, quarta, sub titulo: *Principes du Droit naturel.*

Ad diem 27. Maji in solennibus Academiae feriis dicta est Oratio de *laudibus Lemanni* a juvene florentissimo *Emanuele Courreau*, quæ quum ad nos allata sit, ob styli cultum ac argumenti rationem, non indigna visa est quam hic, omissis quæ ad Orationis formam tantum pertinent, excerptam & in compendium missam cum Lectoribus communicarem: „ Tam ingentem Lemannus præbet oculis prospectum, ut maris potius, quam lacus speciem referat: patet enim in longitudinem sexaginta millia passuum, in latitudinem quindecim, nisi quod versus extremas partes coarctatur; Forma vero non inæqualis aut abrupta, sed in modum arcus leniter inflexa, sinuoso tamen litore prorsus eleganti: Qua amplitudine majoribus etiam cymbis ac triremibus vastum patet æquor, non tantum remigio, sed etiam velis, totoque navigandi artificio verrendum. Ergo spirante aquilone, quo non major est Lemanni arbiter, seu tollere seu ponere vult freta, primo quidem in cæruleo campo, quantum patet acies oculorum, album quid prospicere juvat, quod quidem superato promontorio jam turgidum velum apparet; mox tota navis cum suo se apparatu ostendit. Neque ea unica, sed aliæ diverso intervallo succedunt: Classem dicas a Gadibus vel India advolantem. Quod si mutato cælo jam ingruat auster, tunc Helvetiorum quidem & Sabaudorum naves in suis portibus continent; nostris vero jam solvendi tempus: unde fit, ut perraro nostrum æquor sine velis ultro citroque tenis esse videatur. In mari autem navigantes

vastum quid & immensum prospiciunt, nihil autem varium,

- - - - *Cœlum undique & undique pontus.*

Verum in Lemanno navigans simul cum æquore satis patenti littora cernes utrinque continua; dein terras gradatim se attollentes, in modum amphiteatri; agros cultissimos, saltus, colles, vine-ta, sparsos ibidem mira cum varietate vicos, ca-stella, turre; hinc tandem *Juræ* montis, illinc *Alpium* præcelsa cacumina. - - - - Neque vero tota Lemanni laus in jucunditate consistit: etenim quanta commoda ad annonam atque mercaturam adferat, quotidianus usus docet. Quid & Piscatio? Toto orbe celebrari grandiores *Truttas* Genevenses neminem latet: celebratur quoque piscis genus alibi ferme ignotum, nobis dictum *le Ferrat*: Lau-datur item *Perca*, egregiæ magnitudinis & saporis optimi: Placent & alii pisces multiplicis generis: Quin & gulæ nimis suave, & alibi inusitatum ge-nus deliciarum paratur, in multitudine infinita pisciculorum, quibus una lanx oneratur, nobis *Milcanton* dicta; qua luxuria pene Sardanapalea, nisi ex Lege abstinenceatur, paucis annis ad interi-tum vergere apud hos percarum genus, non sine ingenti damno nostro, necesse est. Nec piscandi modo, sed & venandi voluptatem inter ipsas aquas capere una die possis, adeo multæ sunt aquaticæ volucres, ludentes ac lascivientes, quas inter eminent aves perraræ *Grêbes* dictæ, quarum plumæ, cum niveo colore etiam cyncnos vincant, per omnem Europam a nobilissimo quoque in ornatum adhibentur. - - - - Da vero mihi pere-grinum paullo doctiorem, si naturæ arcana scru-tando sciscitetur, juvabit de æstu illo per menses

Julium

Julium & Augustum in extremo hinc inde lacu observari solito, nostratibus dicto *les Séches*; cuius phænomeni causas si investigare velit, mandabo eum ad Dissertationem D. JALLABERTI in *Actis Reg. Acad. Scient. Parisiensis*: Si vero quæstio moveatur de eo, quod Rhodanus dicitur, postquam Lemanno sese ingurgitavit, eum intermeans, nusquam aquis misceri alienis, sed altrinsecus summitates undæ præterlabens segnioris, quæritans exitus, viam sibi impetu veloci moliri; hoc quidem naturæ miraculum, etsi cum pompa verborum ab *Ammiano Marcellino* Lib. XV. accenties deinde ab aliis jactatum sit, falsum esse credite, Auditores, me teste, utpote qui & ostia Rhodani Lemannum influentis, & ejus exitum, & totam lacus longitudinem plus semel percurrens, nihil simile oculis perceperim. . . . Quid quod & Antiquariis dabitur amplissima observandi atque disferendi materia: Quærere enim juvabit, quid sint ambæ rupes in ipso lacu ad limina portus nostri eminentes, quæ accolarum lingua *Pierres a Neyton*, hoc est, *Petræ Neptuno sacræ* dicuntur, prisco sc. gentilium more, de quo Virgilius:

Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras;
 hic facta esse, saltem semel in anno, *Sacræ Neptuno*, credibile est. Quæ vero cavitas arte facta superne conspicitur, ea non tam ad Gentiles, quam ad Pontificios referenda videtur, quibus placuit crucem ibi, ut solent ubique viarum, figere. De nomine vero Lemanni dudum expoditur putidum commentum ex *Waldensi Chronico* desumptum, de nescio quo *Lemanno*, Paridis, ut ajebant, filio. Nimirum inter ignaros homines
 id

id olim solemne fuit, sua quæcunque quantum possent ad Trojanos, vel ad Herculem, Alexandrumve, aut Julium Cæsarem, ac deinde ad Carolum Magnum referre. Rectius conjicitur vocabulum *Lemanni* ex Græca Lingua, his certe in locis non ignota, vel ex adfini idiomate derivatum esse. Græce enim *λειμων paludem*, seu *lacum* significat: Quæ etymologia, si vera sit, frustra *Lacum Lemannum* dicimus, qui unica voce vel *Lacus*, vel *Lemannus* melius diceretur: Sed per abusum abiit in vulgus eadem *ταυτολογία*, quæ apud Siculos hodiernos dum *montem Gibelum* appellant, quem Sarraceni lingua sua *Gibel*, hoc est *montem* dixere. Genevenses vero ex eo quod Lacus ille ut plurimum *Genevensis* appellatur, vel ex Inscriptione, qua IVLIVS BROCCIVS SEXTANIS GENAVENSIBVS LACVVS dat, nullum sibi titulum dominii vindicant: Docti enim Viri satis ostenderunt, per LACVVS illos Genevensibus donatos intelligi fontes aut cisternas in ipsa urbe factas: Genevenses autem nunquam ullo imperio usos esse, nec nisi sero invaluisse appellationem *Lacus Genevensis*, immo non ubique: Pars enim altera lacus ejusdem *Lausannensis* dicitur, ut appareat ex majoris urbis vicinia tractam esse denominationem, quemadmodum & alibi fieri solet. &c. &c.

Prodiit hic quoque Libellus elegantissimus & profundæ meditationis, qui hujusmodi Titulum præfert: *Theorie des Sentiments agréables: où après avoir indiqué les Regles que la Nature suit dans la distribution du Plaisir, on établit les Principes de la Theologie Naturelle & ceux de la Philosophie Morale.* à Geneve. chez Barillot & fils. 1747. 8. pl. 12.

Primum

mum hujus Theoriæ Specimen sub forma Episto-
 læ, Auctore non consulto, an. 1736 Lutetiæ
 Parisiorum in Collectione aliqua Selectorum Opus-
 culorum comparuit sub titulo : *Reflexions sur les*
Sentimens agréables & sur le plaisir attaché à la vertu.
 Mox deinde 1743 privati Hominis, sed non vul-
 garis saporis, cura atque opera Libellus iste seor-
 sim nitidissime editus est. His permotus Auctor
 ingeniosissimus Opusculum hoc, uti judicabat,
 nondum satis maturum incudi reddidit, atque hoc
 argumentum ea diligentia retractavit, & digessit,
 ut nunc plane novi ac integri Systematis formam
 haberet; quod rationes distincte explicaret, ob
 quas tantopere placerent atque etiam animos tan-
 ta voluptate perfunderent, quæcunque in Natu-
 ræ aut Artis operibus pulcra ac jucunda esse vi-
 dentur. Editionem vero hujus Theoriæ fidei ac
 curæ Clarissimi Professoris VERNETI commisit,
 ea tamen lege, ne Auctoris nomen proderet.
 Summa hujus Libelli Capita hæc sunt: 1.) Il y
 a une Science des Sentimens aussi certaine &
 plus importante qu' aucune Science naturelle.
 2.) Le plan de cet Essai. 3.) Il y a un agré-
 ment attaché à ce qui exerce les organes du
 corps sans les affoiblir. 4.) Il y a un agrément
 attaché à ce qui exerce l'Esprit sans le fatiguer.
 5.) Il y a un agrément attaché à tous les mou-
 vemens du Cœur, que la haine & la crainte
 n'empoisonnent pas. 6.) De la beauté du Corps,
 de l'Esprit & de l'Ame. 7.) De l'harmonie du
 Stile. 8.) De l'agrément attaché aux Biens hon-
 nêtes. 9.) Des modifications du cerveau, qui
 précèdent ou accompagnent les Sentimens agréa-
 bles. 10.) Les Loix du Sentiment annoncent
 une

une Souveraine Intelligence. 11.) Elles annoncent aussi une Intelligence bienfaisante. 12.) Du plaisir attaché à l'accomplissement des nos devoirs envers Dieu: 13.) envers nous-même: 14.) envers les autres hommes. 15.) Du bonheur attaché à la vertu. 16.) Où l'on recherche quels sont les genres de vie les plus heureux. 17. Où l'on prouve que la Philosophie morale est à la portée de tous les hommes. Clariff. VERNETUS præmisit huic Libello Præfationem, in qua tanquam brevi tabella totum hujus Theoriæ conspectum exhibet, eandemque hoc Judicio interposito concludit: *Platon entre les anciens, & quelques modernes, Francois & Anglois, nous ont déjà dit une partie de ce qu'on lira dans ce Traité. Mais je n'en connois aucun qui ait si bien saisi le vrai principe, ni qui l'ait développé avec tant de finesse & de précision. Ici la Sagesse; perd ses rides & se montre accompagnée des Graces. On a remarqué avec raison, qu'il est à desirer que ceux qui étudient les Belles-Lettres y portent un esprit philosophique; on verra ici avec plaisir combien la Philosophie, à son tour, peut être parée par les Belles-Lettres. Conferendus iste Libellus cum Clarissimi Alex. BAUMGARTEN Æsthetica, quam nobis pollicitus est Clariff. Halensis Professor MEIÆRUS, & quem publice hic obtestamur, ut datam fidem mox liberare velit.*

* * * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * *